

Viro illustrissimo et inter Italiam suam sacra computando
Philippo Buonetti.

Serenissimi Magni Ducis Etruriae Tabulario
Georgius Heinricus Perle.
S. P. D.

Proceptis iam ante aliquot menses litteris Tuis honestate et benevolentia in me remque nostram plenis, eam tantum ob causam Tibi Societati que amplissimae, cuius inter sodales me referre iussisti, respondere distuli, quod non solum litteras sed et librum quem de itinere meo per Italiam lingua patria proxime edidi, grati animi testes Tibi offerre mihi proposuissem. Quod quum propter itineris longinquitatem publico vehiculo non sine magno Tuo incommodo fieri possit, et amicorum hucusque nullus Germania relicta Florentiam petierit, non solum quae proposueram omittere, sed quod ea tamdiu omiserim, veniam a Te petere cogor. Et primum quidem, ut qui Societati Columbariae me adiunxisti, litteras meas eidem tradere velis flagito, tum vero Tibimet ipsi de honore Tua opera Tuoque favore mihi oblato, et de eo quod studiis nostris te adiungi passus es, meo ceterorumque sodalium nomine quantas possum gratias refero. Gratissima scilicet non solum mihi sed Societatis Praefidi Directoribusque et omnibus bonarum litterarum per Germaniam curiosis, quae de exemplandis regum Romanorum et Italorum chartis in Serenissimi Magni Ducis Tabulario adferratis nos sperare iussisti. Nam quam magnam diplomatum ab imperatoribus regibusque Romanis Italianis, quibus et Bernhardum, Guidonem, Lambertum, Berengariosque adnumeramus, editorum copiam ex archivis Germanicis, Piedemontanis, Romanis et Neapolitanis iam collegerimus, ut iis eorum quoque quae in Tabulario Tuae fidei commisso reperiantur, (atque si fieri possit ex ceteris Etruriae tabulariis) accurata exempla adiungantur, maxime nobis interest. Qua in re Tui solius favori et amicitiae confidimus atque innitimur, et summo opere flagitamus, ut id nobis, immo rei litterariae universae tribuere velis. Opus vero ipsum haud diu expectabitur. Hoc siquidem anno primus Tomus, chronica Caroli Magni et noni decimique saeculorum historiam illustrantia complexus prodibit, iamque sub prelo fudet. De altero in litteris ad